

(super *Si vobis dixerint*.) Si quis ergo promiserit vobis, quod in deserto Genilium, & Philocephorum dogmata Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana; nolite credere, sed quod ab oriente usque in occidentem fides catholica in Ecclesiis fulget. *Augustinus* de Quæst. Evan. (Lib. 1. cap. 38.) Orientis, & occidentis nomine totum orbem voluit signare, per quem futura erat Ecclesia. Secundum autem illum sensum, quo dixit infra 26. *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus*, convenienter etiam nunc fulgur nominavit, quod maxime solet emicare de nubibus. Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara, atque manifesta, convenienter discipulos admonet, atque omnes fideles ne schismaticis, atque hæreticis credant. Unumquodque schisma, aut unaquæque hæresis locum suum habet, in orbe terrarum aliquam tenens partem; aut obscuris, atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit: quo perinet quod ait: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic*; quod significat terrarum partes, aut provinciarum; aut in penetralibus, aut in deserto; quod significat occulta, & obscura conventicula hæreticorum. *Hieronymus* (ubi supra.) Vel per hoc quod dicit, *In deserto, & in penetralibus* ostenditur quod persecutionis, & angustiarum tempore semper pseudopropheta decipiendi inveniunt locum. *Origenes* (tract. 29.) Vel quando secretas, & non vulgatas scripturas proferunt ad confirmationem mendacii sui, videntur dicere: Ecce in solitudine verbum est veritatis. Quotiens autem canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, videntur dicere: Ecce in domibus est verbum veritatis. Sed nos exire non debemus à prima ecclesiastica traditione. Vel (1) eos sermones qui sunt omnino extra Scripturam ostendere volens, dixit: *Si dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire*, de regula fidei. Eos autem qui simulant divinas Scripturas ostendere volens, dixit: *Si dixerint vobis, Ecce in penetralibus est, nolite credere*. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, & apparenti usque ad occidentem. Vel hoc dicit: quoniam veritatis fulgur ex omni Scripturarum loco defenditur. Exit ergo veritatis fulgur ab oriente, idest ab initiis Christi, & apparet usque ad passionem ipsius, in qua est occasus ejus; vel à primo initio creaturæ mundi, usque ad novissimam Apostolorum Scripturam. Vel oriens quidem est lex, oc-

(1) *Al.* eis. (2) *Al.* addidit. (3) *Al.* virtutes patientes stuporem. (4) *Al.* christianitatem annuntiant. *P. Nicolai* legit christianitati annuntiate. (5) *Al.* manifestatum.  
Ex *EDR. P. NICOL.* (a) Quod subjungitur ex Glossa, nec in Glossa quæ nunc est, nec in Aulsemo, nec alibi occurrit.

ciens autem finis legis, & prophetia Joannis. Sola autem Ecclesia neque subtrahit hujus fulguris verbum, & sensum, neque (2) addit quasi prophetiam aliquid aliud. Vel hoc dicit, quia non debemus attendere eis qui dicunt. *Ecce hic Christus*; non autem ostendunt eum in Ecclesia, in qua tota totus est adventus Filii hominis dicens infra 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* *Hieronymus* (super *Ubi cumque fuerit corpus*.) Provocatur autem ad passionem Christi, ut ubicumque in Scripturis legitur, congregemur: ut per illam venire possimus ad verbum Dei.

(g) *Glossa.* (a) Postquam Dominus præmuniit fideles contra seductionem Antichristi, & ministrorum ejus, ostendens se manifeste esse venturum; nunc ordinem, & modum sui adventus demonstrat, dicens: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur.* *Chrysofomus* (in hom. 77.) Tribulationem dicit dierum Antichristi, & pseudoprophetarum: tribulatio enim tunc erit magna tot existens deceptoribus. Sed non extendetur per temporis longitudinem. Si enim Judaicum bellum propter electos decurratum est, multo magis propter eos hæc tribulatio abbreviabitur: & propter hoc non simpliciter dixit, *Post tribulationem*; sed addit *statim*: ipse enim confestim aderit. *Hilarius* (can. 26.) Gloriam autem adventus sui indicat obscuritate solis, & defectione lune, & casu stellarum: nam sequitur: *Et luna non dabit lumen suum, & stella cadent de celo.* *Origenes* (tract. 30.) Dicit autem aliquis. Sicut in magnis ignibus succendi incipientibus tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli: sic in consummatione mundi ab igne, qui succendendus est, obscurabuntur etiam luminaria magna; marcescente autem stellarum lumine, reliquum earum corpus, cum exaltari non valeat, sicut primum cum à lumine ipso portatum extollebatur, cadet de celo. His accidentibus consequens est celorum rationabiles (3) virtutes stuporem, & commotionem aliquam pati, & conturbari, remotas à primis functionibus suis: unde sequitur: *Et virtutes celorum commovebuntur, & tunc apparebit signum Filii hominis in celo*, in quo scilicet caelestia facta sunt, idest virtus quam operatus est Filius suspensus in ligno; & in celo apparebit maxime signum illius, ut homines de omnibus tribus quæ prius non crederentur (4) christianitatem annuntiare, tunc recognoscens per signum illud (5) manifestatam, plangent,

& lamentabuntur propter ignorantiam suam, atque peccata: unde sequitur: *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Alius autem aliter arbitrabitur, quoniam sicut lucerna paulatim deficit lumen, sic caelestium luminum deficiente nutrimento, sol obscurabitur, & luna, & stellarum lumen deficiet, & quod remanserit in eis, quasi terrenum cadet de celo. Sed quomodo potest dici de sole quoniam obscurabitur lumen ejus, cum Esaias Propheta profectum aliquem solis in consummatione fore declaret? Similiter & de luna Esaias (1) profert quoniam erit sicut sol. De stellis autem quidam dicere tentant, aut omnes, aut plures earum majores esse tota terra. Quomodo ergo cadent de celo, cum magnitudini earum non sufficiat terra? *Hieronymus* (super *Sol obscurabitur*.) Non ergo diminutione luminis (2) hujusmodi accident; alioquin solem legitimum septuplum habiturum luminis; sed comparatione veræ lucis omnia visui apparebunt tenebrosa. *Rabbanus*. Nihil tamen prohibet intelligi veraciter tunc solem, & lunam cum ceteris sideribus ad tempus suo lumine privari, sicut de sole factum constat tempore dominicæ passionis: unde & Joel dicit cap. 2., Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus, & magnus, nifestus. Ceterum, peracto die iudicii, & clarificente futuræ gloriæ via, cum fuerit celum novum, & terra nova, tunc fiet quod Esaias Propheta dicit cap. 30., Erit lux lune, sicut lux solis, & lux solis erit septemplex, ter. Quod autem de stellis dictum est, *Et stella cadent de celo*, in Marco cap. 14. ita scriptum est: *Et stella cæli erunt decedentes* idest suo lumine carentes. *Hieronymus* (ubi supra.) Per virtutes autem celorum, Angelorum multitudines intelligimus. *Chrysofomus* (in hom. 77.) Qui valde decenter commovebuntur, vel concuientur, videntes tantam transmutationem fieri, & conservos suos puniri, & orbem terrarum terribili assidentem iudicio. *Origenes* (tract. 30.) Sicut autem in dispensatione crucis sole deficiente, tenebræ factæ sunt super terram; sic & signo Filii hominis apparente in celo, deficient lumina solis, lune, & stellarum, quasi consumpta ex multa virtute signi illius: unde sequitur: *Tunc apparebit signum Filii hominis in celo.* Signum autem crucis hic intelligamus, ut videant, juxta Zachariam, & Joannem, Judæi quem compunxerant, & signum victoriæ, *Chrysofomus* (in hom. 77.) Si autem sol quidem obtenebretur, crux non apparet, nisi mul-

*S. Thom. Op. Tom. VIII.*  
*Al. refert.* (2) *Al.* hujus mundi. (3) *P. Nicolai* habet ab hujusmodi. (4) *Al.* unitur Dei.

to solaribus radiis luculentior esset. Ne autem discipuli verecundentur; & dolent de cruce eam signum nominat cum quadam claritate. Apparebit autem signum crucis, ut Judæorum inverecundiam confuteret: advenit enim Christus in iudicio non vulnera solum, sed mortem exprobratissimam ostendens: unde sequitur: *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Vifa enim cruce considerabunt quod mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum quem adorari oportebat. *Hieronymus* (super *Et plangent*.) Recte autem dicit, *Tribus terræ*: hi enim plangent qui municipatum non habent in cælis, sed scripti sunt in terra. *Origenes* (tract. 30.) Moraliter autem dicit aliquis obscurandum solem: esse diabolum, qui in consummatione est arguendus, cum sit tenebræ, simul autem solem; luna autem quæ videtur (3) homini illuminari sole, est omnis ecclesia malignantium, quæ frequenter lumen se habere, & dare promittit; tunc autem redarguta cum reprobatibus dogmatibus suis claritatem suam amittit; sed & quicumque, sive in dogmatibus, sive in virtutibus falsis, hominibus quidem veritate promittebant, mendacis autem decebant, hi convenienter dicendi sunt stellæ cadentes de celo, ut ita dicam, suo, ubi erant in altitudine constitutæ, extollentes se adversus scientiam Dei. Ad commendationem autem sermonis hujus utemur exemplo Proverborum 4. dicente: *Lumen iustorum semper inextinguibile est, lumen autem impiorum extinguetur.* Tunc claritas Dei apparebit in omni qui portavit imaginem caelestis; & caelestes letabuntur, terreni autem plangent. Vel Ecclesia est sol, luna, & stellæ, cui dictum est Cant. 6., Speciosa ut luna, electa ut sol. *Augustinus* ad Hefychium (ep. 80. post medium.) Tunc enim sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum; quia Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum faventibus. Tunc stellæ cadent de celo, & virtutes celorum commovebuntur: quoniam multi qui gratia (4) Dei fulgere videbantur, persequentibus cedent, & cadent; & quidem fideles fortissimi turbabuntur. Hoc autem post tribulationem dierum illorum dicitur esse futurum, non quia transacta tota illa persecutione accidant ista, sed quia præcedet tribulatio, ut sequatur quorundam defectio; & quia per omnes dies illos ita fiet, propterea post tribulationem dierum illorum, sed tamen eisdem diebus, fiet.

(h) *Chrysofomus* (in hom. 77.) Quia crucem audiverant, ne rufus existimarent aliquid



tarpe esse futurum, subiungit: *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, & maiestate.* Augustinus ad Helychium (epist. 80. prope finem.) Cujus quidem (1) proprius sensus est, ut cum hoc quisque audierit, vel legerit, ipsum esse adventum accipiat, quando venturus est ad vivos, & mortuos iudicandos in corpore suo; in quo sedet ad dexteram Patris, in quo etiam mortuus est, & resurrexit, & ascendit in caelum; & sicut in Actibus Apostolorum cap. 1. legitur, „nubes „suscipit eum ab oculis eorum:“ & quia illic dictum est ab Angelis, „Sic veniet, quomodo „vidistis eum euntem in caelum;“ merito credendus est non solum in eodem corpore, verum etiam in nubo venturus. *Origenes* (tract. 30.) Videbunt ergo oculis corporalibus Filium hominis in specie humana venientem in nubibus caeli, idest supernis. Sicut enim quando transformatus est, „vox venit de nube;“ sic cum veniet iterum in speciem transformatus gloriosam, & non super unam nubem, sed super multas, quae erunt vehiculum ejus. Et siquidem ut ne terram calcaret Filius Dei Hierosolymam ascendens, diligentes eum, straverunt vestimenta sua in via, neque asellum qui portabat eum volentes terram calcare; quid mirum, si Pater & Deus omnium nubes sternat caelestes sub corpore Filii descendentes ad opus consummationis? Dicit autem aliquis, quoniam sicut in factioe hominis accipit Deus limum de terra, & finxit hominem; sic ut appareat gloria Christi accipiens Dominus de caelo, & de caelesti corpore, incorporavit primum quidem in transfiguratione in nubem lucidam; (2) in consummatione autem in nubes lucidas: propter quod nubes caeli dicuntur, secundum quod & limus terrae est dictus; & decet Patrem talia miranda dare Filio suo, qui se humiliavit; & propterea exaltavit illum, non solum secundum spiritum, sed etiam secundum corpus, ut super talibus nubibus veniret; & forsitan super nubibus rationabilibus, ne irrationabile esset vehiculum Filii hominis glorificati. (3) Et primum quidem venit Jesus cum virtute, ex qua faciebat signa, & prodigia in populo; omnibus autem illa virtus comparatione illius virtutis multae cum qua in fine venturus est, modica erat: virtus enim erat exinanientis seipsum. Consequens est etiam ut ad majorem gloriam reformetur quam fuit transformatus in monte: tunc enim propter tres tantummodo transfor-

(1) P. Nicolai ex Augustino legit promptior. (2) Al. idest in consummatione in nubes lucidas. (3) Al. omittitur Et. (4) Al. idest non. (5) Al. qui.

Ex edit. P. Nicol. (a) Sic in edit. Antverpiensi, non Chrysostomus, ut in Parisiensi prius notabatur; etsi nec Origenes haec adeo expresse, quae tamen subindicat.

matus est, in consummatione autem mundi totius, apparebit in gloria multa, ut videant eum omnes in gloria. *Augustinus* ad Helychium (epist. 80. post medium.) Sed quoniam scripturae scrutandae sunt, nec earum superficie debemus esse contenti, diligenter sunt inspicenda sequentia: post pauca enim sequitur: *Cum videritis haec omnia fieri, scitote quia prope est jam in januis:* tunc enim scimus prope esse, cum (4) non aliqua videmus esse praemisiorum, sed haec omnia, in quibus & hoc est quod videbitur Filius hominis veniens. Et mittit Angelos suos de quatuor partibus mundi; idest, de toto orbe terrarum congregabit electos suos: (5) quae tota hora novissima facit veniens in suis membris tamquam in nubibus, vel in tota ipsa Ecclesia tamquam in nube magna, sicut nunc venire non cessat; sed ideo cum potestate magna, & maiestate, quia major potestas, & maiestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur. *Origenes* (tract. 30.) Vel cum magna virtute venit quotidie ad animam hominis credentis in nubibus propheticis, idest in Scripturis Prophetarum, & Apostolorum, qui verbum Dei super humanam naturam in intellectibus suis declarant; sic etiam eis qui intelligunt dicimus apparere gloriam multam; quae quidem videtur in secundo Verbi adventu, quod est perfectiorum: & sic fortasse omnia quae à tribus Evangelistis dicta sunt de Christi adventu, diligenter inter se collata, & bene discussa inventientur ad hoc pertinere quod quotidie venit in corpore suo, quod est Ecclesia; de quo adventu suo alibi dixit (infra 26.) *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli;* exceptis his locis ubi ab eo ille adventus ultimus in seipso promittitur.

(1) *Origenes* (tract. 30.) Quia de planctu mentionem fecerat, qui ad hoc erit ut sponte contra se sententiam proferant, & seipso condemnent; ne putetur quod in isto planctu mala eorum terminentur, subdit. *Et mittit Angelos suos cum tuba, & voce magna, Remigius.* Haec autem tuba non revera corporea est intelligenda, sed archangelica vox; quae adeo magna erit ut ad clamorem illius omnes mortui de terra pulvere resurgant. *Chrysostomus* (hom. 77.) Sonus autem tubae pertinet ad resurrectionem, ad gaudium, ad representandum stuporem qui tunc erit ad dolorem illorum qui relinquentur,

& in nubibus non rapiuntur. *Origenes* (tract. 30. à medio. Scriptum est autem in Numeris cap. 10. quod ex quatuor ventis (1) congregabant facie dotes tibcinantes eos qui sunt ex castris Israel, secundum quorum comparationem de Angelis Christi consequenter dicitur: *Et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, Remigius.* Idest, à quatuor climatibus mundi, idest oriente, occidente, aquilone, & austro. *Origenes* (tract. 30.) Et simpliciores quidem opinantur eos tantum, qui tunc inventi fuerint in corpore, aggregandos; sed melius est dicere congregandos (2) ab Angelis Christi esse omnes non solum ab adventu Christi, & usque ad consummationem vocatos, atque electos, sed omnes qui à constitutione fuerint mundi, qui viderunt, sicut Abraham, Christi diem, & exultaverunt in illa. Quoniam autem non tantum illos qui in corpore fuerint comprehensi, dicit congregandos Christi electos, sed etiam illos qui de corporibus sunt egressi, manifestat sermo dicens, congregatos electos non solum à quatuor ventis, sed etiam subdens: *A summis caelorum usque ad terminos eorum:* quod nemini super terram existentem arbitror convenire. Vel caeli sunt Scripturae divinae, aut auctores earum, in quibus habitat Deus. Summa autem Scripturarum sunt initia illarum, termini autem consummationes earum. Congregantur ergo sancti à summis caelorum, idest ab eis qui vivunt in initiis Scripturarum usque ad eos qui vivunt in consummationibus earum; Congregabuntur enim tuba; & voce magna, ut qui audierint, & adverterint parent se ad viam perfectionis, quae ducit ad Filium Dei. *Remigius.* Vel aliter. Ne forte aliquis putaret quod solummodo à quatuor partibus mundi, & non à mediterraneis regionibus, & locis, ideo addit: *A summis caelorum usque ad terminos eorum.* Per summum enim caeli medium orbis intelligitur, quia medio orbis (3) summum caeli praesideri. Per terminos autem caelorum, fines terrae significat, ubi longe distantibus circulis caeli terrae insidere videntur. *Chrysostomus* (hom. 77.) Quod autem per Angelos Dominus electos vocat, ad electorum honorem pertinet: nam & Paulus dicit, quod rapiuntur in nubibus: quia eos quidem qui resurrexerunt congregabunt Angeli, congregatos autem recipient nubes.

(k) *Chrysostomus* in hom. 78. Quia dixerat, quod statim post tribulationem dierum illorum, quae praedicta sunt contingerent, ipsi autem quærere poterant, Post quantum tempus? ideo exponit, exemplum ponens de ficu;

(1) Al. congregabant. (2) Al. non solum ab Angelis. (3) Al. summi caeli. (4) Al. Per hoc autem. (5) Al. esse. (6) Al. Vel.

dicens: *Ab arbore, scilicet discit palatibolam; cum iam ramus ejus tener fuerit, & folia nato, scitis quia prope est aestas.* *Hieronymus* (super *Ab arbore, scilicet discit.*) Quasi dicat: Sicut quando teneri fuerint in arbore ficus cauliculi, & gemma exumpit in florem, cortexque folia parturit, intelligitis aestatis adventum, & favonii, ac veris introitum; ita cum omnia quae scripta sunt videritis, nolite putare jam adesse consummationem mundi, sed quasi praevia, & praecursores quosdam vehire, ut ostendant quod prope sit, & in januis: unde sequitur: *Ita & vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis.* *Chrysostomus* in hom. 78. Per quod ostendit quod non multum erit temporis medium; sed statim adventus Christi occurret. (4) Per ramum autem & aliud quiddam praenuntiat, scilicet aetatem spirituales, & tranquillitatem iustis post hiemem esse futuram, peccatoribus autem e contrario hiemem post aetatem. *Origenes* (tract. 30.) Sicut enim ficus in tempore quidem hiemis, vitalem virtutem habet in se absconditam, postmodum autem cum virtus ipsa vitalis prodire coepit ad manifestationem, praeterente hieme, & ipsa valetudine, ejus ramus efficitur tener, & folia producit; sic & mundus, & unusquisque eorum qui salvantur ante Christi adventum, quasi in hieme in se absconditam habet vitam virtutem; Christo autem inspirante fiunt teneri, & non duri cordis rami, & quae abscondita erant in eis, progrediuntur in folia, & manifestos fructus ostendunt; talibus autem prope est aestas, & adventus gloriae Verbi Dei: *Chrysostomus* in hom. 78. Propter hoc etiam illud posuit, ut credere faciat hunc sermonem omnino ita esse veritatem: ubique enim quod omnino eventurum (5) est dicit, naturales necessitates in exemplum inducit. *Augustinus* ad Helychium (epist. 80.) Quod autem de signis evangelicis, & prophetis, quae fieri cernimus, & propinquum Dominum adventum sperare debeamus, quis negat? Quotidie quippe magis magisque sic proximus, sed quoniam intervallo propinquat, de hoc dicitur est *Act. 1.* Non est vestrum scire tempora, vel momenta. (6) Vide quanto dicitur *Apostolus* Rom. 13. Nunc propter est nostra salus, quam cum credimus, & ecce tibi anni transierunt, nec tamen quod dixit saluum est; quanto magis nunc dicendum est propinquare: Dominum adventum quando tantus factus est ad finem accessus & *Hilarus* (can. 26.) Mystice autem synagoga ficus arbori comparatur: ramus igitur ficus Antichristus esse intelligitur, diaboli filius,

(1) Al. non solum ab Angelis. (2) Al. summi caeli. (3) Al. Per hoc autem. (4) Al. esse. (5) Al. esse. (6) Al. Vel.



peccati portio, legis assertor, qui cum virecere creperit, & frondescere quadam peccatorum exultantium viriditate, tunc proxima est æstas; idest, dies iudicii sentietur. *Remigius*. Vel cum hæc ficus rursus germinavit, idest cum synagoga verbum sanctæ prædicationis accipiet; prædicantibus Enoch, & Elia, intelligere debemus quia prope est dies consummationis. *Augustinus* de *Quæst. Evang.* (Lib. 1. cap. 39.) Vel per arborem fici intellige genus humanum propter pruriturum carnis. Cum jam ramus ejus tener fuerit, idest, cum filii hominum per fidem Christi, ad spirituales fructus profecerint, & in eis honor adoptionis filiorum Dei emicuerit. *Hilarius* (can. 26.) Ut autem fides certa esset futurorum, subjunxit: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Amen* autem dicendo, professionem veritatis adjunxit. *Remigius* (a) Et simplices quidem ad destructionem Hierusalem referunt verba, & de illa generatione æstimant dicta quæ passionem Christi aspexit, quod non esset transtura priusquam fieret destructio civitatis illius. Nescio autem si verbum à verbo exponere possint, ab eo quod ait, *Non relinquetur hic lapis super lapidem*; usque ad illud quod ait, *Prope est in januis*; forsitan enim in quibusdam poterunt, in aliis autem non poterunt omnino. *Chrysostomus* in hom. 78. Hæc ergo omnia de sine Hierosolymorum dicta sunt, & quæ de pseudopropheta, & pseudochristis, & alia omnia quæ diximus usque ad Christi adventum futura. Quod autem dixit, *Generatio hæc*, non de ea quæ tunc erat dixit, sed de ea quæ est fidelium: consuevit enim Scriptura generationem non solum à tempore designare, sed à loco, cultu, & conversatione; sicut cum dicitur *Psal.* 23. *Hæc est generatio quærentium Dominum*. Ex hoc autem (1) ostendit quod Hierusalem peribit, & amplior pars Judæorum destruetur; generationem autem fidelium nulla separabit tentatio. *Origenes* (tract. 30.) Generatio tamen Ecclesiæ transibit (2) aliquando totum hoc sæculum, ut hereditet futurum; tamen donec hæc omnia fiant, non transibit. Cum autem omnia hæc facta fuerint, transibit non solum terra, sed etiam cælum: unde sequitur *Cælum, & terra*, idest non solum homines quorum vita terrena est, & propterea terra dicuntur, sed etiam illi quorum conversatio est in cælis, & ideo cælum vocantur: transibunt autem ad futura, ut veniant ad meliora. Verba

(1) *Al.* dicit. (2) *Al.* aliquando tamen totum &c. (3) *Al.* deerat perveniunt. (4) *Al.* prope; (5) *Al.* Deinde magis eos ad fidem promissorum inducit cum subdit. (6) *P. Nicolai* habet & *Pierii*. (7) *Al.* *Deus* immutatus. (8) *Al.* *Deus* immutatus non est. (9) *Al.* *Deus* immutatus non est. (10) *Al.* *Deus* immutatus non est. (11) *Al.* *Deus* immutatus non est.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Vel Origenes ut supra.

autem quæ à Salvatore sunt dicta, non transibunt, quoniam quæ sua propria sunt, operantur, & semper operabuntur; perfecti autem, & qui non recipiunt ut jam meliores efficiantur, transeunt quod sunt (3) perveniunt ad illud quod non sunt; & hoc est quod subditur: *Verba autem mea non præteribunt*. Et forte quidem verba Moysi, & Prophetarum transiverunt, quoniam quæ prophetizabantur ab illis, impleta sunt; verba autem Christi semper sunt plena, & quotidie implentur, & adhuc sunt implenda in sanctis. Aut forte neque Moysi verba, aut Prophetarum dicere debemus impleta omnino: (4) proprie enim & illa verba Filii Dei sunt, & semper implentur. *Hieronymus* (super *Non præteribit generatio*). Vel hic per generationem omne hominum significat genus, aut specialiter Judæorum. (5) Deinde ut magis eos ad fidem promissorum inducat subdit: *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt*; ac si dicat: Facilius est fixa & immobilia destrui, quam sermorum meorum aliquid decidere. *Hilarius* (can. 26.) Cælum enim, & terra ex conditione suæ creationis nihil habent in se necessitas ut non sint; verba autem Christi ex æternitate deducta, id in se continent virtutis ut maneant. *Hieronymus* (super illud, *Cælum, & terra transibunt*). Cælum autem, & terra transibunt in mutatione; non abolitione sui: alioquin quomodo sol obcurabitur, & luna non dabit lumen suum, si cælum, in quo ista sunt, terraque non fuerint? *Rabbanus*. Cælum tamen quod transibit, non sidereum, sed æreum intelligere debemus, quod prius dilavio perit. *Chrysostomus* in hom. 78. Elementa autem mundi in medium adducit, ostendens quoniam pretiosior cælo & terra est Ecclesia; simul etiam & hinc conditorem se omnium ostendit.

(1) *Chrysostomus* in hom. 78. Cum dixisset Dominus omnia quæ præcedunt Christi adventum, & ad ipsas januas narrationem duxisset, diem tacere voluit: unde dicitur: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater*. *Hieronymus* (super *De die autem illa*). In quibusdam autem Latinis codicibus additum est, *Neque Filius*, cum in Græcis, & maxime Adamantii, (6) & Pieri exemplaribus hoc non habeatur adscriptum. Sed quia in nonnullis legitur, differendum videtur. *Remigius*. Marcus etiam Evangelista non solum dicit Angelos nescire, sed etiam Filium. *Hieronymus*

(ubi supra) *Thom.* Oper. Tom. VIII. (7) *Al.* die alia.

(ubi supra.) In quo gaudent Atrius, & Eunomius: dicunt enim: Non potest equalis esse qui novit, & qui ignorat: contra quos breviter ista dicenda sunt. Cum omnia tempora fecerit Jesus, hoc est Verbum Dei (, omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: *Joan.* 1.) in omnibus autem temporibus cum dies iudicii sit, qua consequentia potest ejus ignorare partem cujus torum noverit? Hoc quoque dicendum est. Quid est majus notitia Patris, an notitia iudicii? Si majus noverit, quomodo ignorat quod minus est? *Hilarius* (can. 26.) Numquid etiam Deus Pater cognitionem illius diei Filio denegavit, cum dictum ab eo sit *Luc.* 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*. Ergo non omnia sunt tradita, si est aliquid quod negatur. *Hieronymus* (ubi supra.) Igitur, quia probavimus non ignorare Filium Dei consummationis diem, causa reddenda est cur ignorare dicatur. Post resurrectionem quidem interrogatus ab Apostolis de hac die, manifestus respondit (*Act.* 1.) *Non est vestrum scire tempora, & momenta, quæ Pater potest, sicut in sua potestate*. In quo ostendit quod ipse sciat; sed non expedit nosse Apostolis, ut semper incerti de adventu iudicii, sic quotidie vivant, quasi (1) die illa iudicandi sint. *Augustinus* 1. de Trin. (cap. 12.) Quod ergo dicit, Nescit; intelligendum est nescientes facit; idest, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret, sicut dictum est ab Abraham *Gen.* 22. *Nunc cognovi quoniam times Deum*; idest, nunc feci ut cognosceres: quia & ipse sibi in illa tentatione innotuit. *Augustinus* de Verb. Dom. (serm. 12.) Quod autem dixit Patrem scire, ideo dixit, quia in Patre & Filio scit. Quid enim est in die quod non in Verbo factum sit, per quod factus est dies? *Augustinus* in Lib. 83. Quæst. (quæst. 50.) Bene autem accipitur quod dictum est, solum Patrem scire, secundum prædictum modum sciendi, quia facit Filium scire; Filius autem nescire dicitur, quia non facit homines scire. *Origenes* (tract. 30. inter med. & fin.) Vel aliter. Donec Ecclesia, quæ est corpus Christi, nescit diem illum, & horam, tamen nec ipse Filius dicitur diem illum, & horam scire. Dicitur autem scire secundum propriam significationem, sicut est in consuetudine Scripturarum. Apostolus enim Salvatorem dicit nescientem peccatum, quia non peccavit. Præparat autem Filius scientiam diei illius, & horam coheredibus suæ promissionis, ut omnes

simul sciant, idest reipsa experiantur in illa hora, & die quæ preparavit Deus diligentibus se. *Basiliius*. (a) Legi quoque in eujusdam libro, *Filius hunc non unigenitum, sed adoptivum debere intelligi: non enim Unigenito filio Angelos præposuisset: scilicet enim ait: Neque Angeli cælorum, neque Filius*. *Augustinus* ad Hesychiū (epist. 80. prope princ.) Sic ergo Evangelium dicit, *De die illa, & hora nemo scit*; tu autem dicis: Ego autem dico, neque mentem, neque annum adventus ipsius sciri posse: ita enim hoc videtur sonare tamquam non possit sciri quo anno venturus sit; sed possit sciri qua hebdomada annorum, vel qua decade; tamquam dici possit, atque diffiniri inter illos septem annos, aut decem, aut centum, vel quodlibet, seu majoris numeri, seu minoris. Si autem hoc te non comprehensisse præsumis, hoc sentis quod ego. *Chrysostomus* in hom. 78. Ut autem addiscas quod non ignorantia suæ est quod de die, & hora iudicii tacet, aliud signum inducite, cum subdit: *Sicut autem fuit in diebus Noe, ita fiet adventus Filii hominis*. Hoc autem dixit ostendens quod repente venit, & inopinate, & pluribus lascivientibus: hoc enim & Paulus dicit 1. Thess. 5. *Cum dixerint, Pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet inquitur*, unde & hic subditur: *Sicut enim erant in diebus illis ante diluvium, comedentes, & bibentes. Rabbanus*. Non igitur hic iuxta Marcionis, & Manichæi errorem, eujusgia, vel alimenta damnantur, cum in his successione, in illis natura sint posita subsidia; sed immeratius licitorum usus arguitur. *Hieronymus* (super *Sicut in diebus*). Quæritur autem quomodo supra scriptum est: *Surgat gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentia, & fames, & terremotus*; & nunc ea futura memorentur quæ pacis indicia sunt? Sed æstimandum quod post pugnas, & cetera quibus vastatur genus humanum, brevis subsequetur pax sit, quæ quæta omnia reprimat, ut fides credentium comprobetur. *Chrysostomus* in hom. 78. Vel lascivia erit, & pax his qui insensibiliter dispositi sunt: propter hoc non dixit Apostolus, *Cum fuerit pax*; sed *Cum dixerint, Pax, & securitas*; insensibilitatem eorum ostendens, sicut illorum qui fuerunt in diebus Noe: quoniam mali lascivebant, non autem iusti; sed in tribulatione, & tristitia transibant. Hinc autem ostendit quoniam, cum Antichristus venerit, indecentes voluptates as-

EX EDIT. P. NICOL. (a) In Basilio nihil tale occurrit, etsi hunc locum ex professo interpretatur Lib. 4. contra Eunomium, solvens objectiones quas Eunomius contra Filii divinitatem apponebat, eademque differens quoad istam, quæ jam ex Hieronymo nota sunt,



fumentur apud eos qui iniqui erunt, & de propria desperabunt salute; & ideo exemplum ponit huic rei conveniens. Cum enim arca fabricaretur, (1) prædicabat quidem in medio, futura prædicans mala; mali autem non credentes, ac si nullum fuisset futurum malum, lasciviebant: & quia futura (2) apud multos non creduntur, ex præteritis credibilia facit quæ prædicat. Deinde aliud signum ponit per quod ostendit & quod inopinabiliter dies ille veniet, & quod ipse diem illum non ignorat, dicens: *Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & alius relinquetur*: ex quibus verbis ostenditur quod assumetur, & relinquentur & servi, & domini, & qui in otio, (3) & qui in labore. *Hilarius* (can. 26.) Vel duos in agro, duos populos fidelium, & infidelium in sæculo, tamquam in vitæ hujus opere, dies Domini deprehendet; separabuntur tamen relicto alio, & alio assumpto: in quo fidelium, & infidelium (4) discretio docetur: Dei enim ira ingravescente, sancti in promptuario recondentur, perfidi vero ad cælestis ignis materiam relinquentur. De molentibus (5) etiam par ratio est: unde sequitur: *Dux erunt molentes in mola: una assumetur, & alia relinquetur*. Mola enim opus legis est: sed quia pars Judæorum, ut per Apostolos creditur, ita per Eliam est creditura, & justificanda per fidem; ideo una per eandem fidem boni operis apprehenderetur, alia vero infructuosa legis opere relinquetur, molens in cassum, & non factura cælestis cibi panem. *Hieronymus* (super *Tunc duo erunt in agro*.) Vel duo in agro pariter inveniunt eundem habentes laborem, & quasi parem sementem; sed fructus laboris non æque recipientes. In duobus etiam qui pariter molunt, vel synagogam intelligere debemus, (6) & Ecclesiam, quod simul molere videantur in lege, & de eisdem Scripturis sanctis farinam terere præceptorum Dei; vel ceteras hæreses, quæ (7) aut de utroque testamento, aut de altero videntur molere farinam doctrinarum suarum.

Sequitur: *Duo in lecto: unus assumetur, & alius relinquetur*. *Hilarius* (can. 26.) Duo autem in lecto, sunt eandem passionis dominicæ requiem prædicantes; circa quam hæreticorum, & catholicorum eadem confessio est: sed quia unitatem divinitatis Patris, & Filii catholicorum fides prædicabit, & hæreticorum falsitas impugnet; fidem confessionis utriusque di-

vini arbitrii iudicium comprobabit, unum assumendo, & alium relinquendo. *Remigius*. Vel his verbis tres ordines Ecclesiæ demonstrantur: per duos in agro ordo prædicatorum, quibus commissus est ager Ecclesiæ; per duos in mola ordo conjugatorum, qui dum per diversas curas nunc ad hæc, nunc ad illa flectuntur, quasi molas in circuitu trahunt; per duos in lecto ordo continentium, quorum requies nomine lecti designatur. In his autem ordinibus sunt boni, & mali, iusti, & iniusti; & ideo ex eis quidam relinquentur, & quidam assumuntur. *Origenes* (tract. 31.) Vel aliter. Corpus quidem quasi infirmum in lecto est carnalium passionum; anima autem molit in gravi mola mundi; (8) vel corporis sensus in agro mundi operantur.

(m) *Hieronymus* (super *Vigilate*.) Perspicue ostendit Dominus, quia supra dixit: *De die autem illa nemo novit nisi Pater solus*, quia scilicet non expediebat Apostolis scire, ut pendulæ expectationis incerti semper credant eum esse venturum, quem ignorat quando venturus sit; & ideo quasi ex superioribus concludens dicit: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vestre venturus sit*. Et non dicit, quia nescimus, sed *Nescitis*, scilicet ut ostendat se diem iudicii non ignorare. *Chrysostomus* in hom. 78. Vult autem eos semper in sollicitudine esse: propter hoc dicit, *Vigilate*. *Gregorius* (hom. 13. in Evang.) *Vigilat* qui ad aspectum veri luminis oculos apertos tenet; *vigilat* qui servat operando quod credit; *vigilat* qui à se torporis, & negligentiae tenebras repellit. *Origenes* (tract. 31.) Dicit autem qui simplicior est, quoniam de secundo adventu, in quo venturus fuerat, hunc dicebat sermonem; alius autem quod intelligibilem, & futurum in sensum discipulorum Verbi dicebat adventum; quia nondum erat in sensu eorum, quemadmodum erat futurus. *Augustinus* ad Helychium (epist. 80. circ. princ.) Non solum autem illis dixit, *Vigilate*, quibus tunc audientibus loquebatur; sed etiam illis qui fuerunt post illos annos, & ad nos ipsos, & qui erunt post nos usque ad novissimum ejus adventum, quia ad omnes pertinet quodammodo: tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit ejus dies, ut tunc hinc exeat qualis iudicandus est illa die: ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus: imparatum enim inveniet ille dies quem imparatum invenerit suæ vitæ ultima

ma dies. (1) (a) *Origenes*. Vani autem sunt omnes, sive qui consummationem mundi scire se profitentur quando erit, sive qui vitæ propriæ finem scire se gloriantur, quem nemo cognoscere potest, nisi Spiritu Sancto illuminatus. *Hieronymus* (ubi supra.) Præmissa autem patristamiliis exemplo, cur reticeat consummationis diem, manifestus docet cum subdit: *Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam*. *Origenes* (tract. 31.) Paterfamilias domus est sensus hominis, domus autem ejus est anima, fur autem diabolus. Est autem omnis sermo contrarius qui non per naturalem introitum intrat ad animam negligentis, sed quasi qui foderit domum, primum destruens quædam (2) naturalia ædificia animæ, idest naturales intellectus, & per ipsam dirutionem ingressus, spoliat animam. Aliquoties invenit quis furem in ipsa professione, & comprehendens eum, percussorem sermonem immittens, interficit ipsum. Non autem in die fur venit, quando illuminata est à sole iustitiæ anima hominis studiosi; sed in nocte, idest in tempore adhuc malitiæ permanentis: in qua cum fuerit aliquis, possibile est, etsi non habuerit virtutem solis, quod tamen illustretur ex aliquo splendore Verbi, quod est lucernam; adhuc quidem manens in malitia, sed tamen habens propositum meliorum, (3) & vigilantiam, ne peridiatur hoc ejus propositum. Vel in tempore tantationum, vel quarumcumque calamitatum maxime fur solet venire, volens perferdere animæ modum. *Gregorius* (hom. 13. in Evang.) Vel nesciente paterfamilias fur domum perdidit; quia dum à sui custodia spiritus dormierit, improvisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irumpit, & eum quem dominum domus dormientem invenerit, necat: quia dum ventura damna spiritus minime prævidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si vigilaret: quia adventum iudicis, qui occulte animas rapit, præcavens, ei poenitentem occurreret, ne impoenitens periret. Horam vero ultimam idcirco Dominus voluit esse incognitam ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere minime possimus, ad illam sine intermissione præparemur: propter quod sequitur: *Ideoque estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est*. *Chrysostomus* in hom. 78. Hic videtur confundere eos qui non tantum studium

faciunt animæ suæ, quantum student circa pecunias qui furem expectant.

(n) *Hilarius* (can. 27.) Quamvis Dominus supra in communi nos ad indefessam vigilantiam curam fuerit adhortatus, specialem tamen populi principibus, idest Episcopis, in expectatione, adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem, atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda atque utilitatis populi sibi commissi curantem: unde dicit: *Quisputas est fidelis servus, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam ut det illis cibum in tempore?* *Chrysostomus* in hom. 78. Quod autem dicit, *Quisputas*, non est ignorantis; invenitur enim & pater interrogando loquens, ut cum dicit Gen. 3. „Adam ubi es?“ *Remigius*. Nec enim signat hæc interrogatio impossibilitatem perficiendæ virtutis, sed difficultatem. *Glossa*. (ordinaria.) Rarus enim est fidelis servus, domino propter dominum serviens, oves Christi non ad lucrum, sed pro amore Christi pascens; prudens qui subditorum capacitatem, vitam, & mores discutiatur, quem constituit Dominus, qui scilicet sit vocatus à Deo, & non se injecerit. *Chrysostomus* in hom. 78. Duo autem expetit ad hujusmodi servo, scilicet prudentiam, & fidem: fidelem enim eum dicit, quoniam nihil quod domini sui est, sibi proprium fecit, nihil etiam de rebus sui domini vane, & inaniter consumpsit. Prudentem autem eum vocat, quoniam cognovit id ad quod oportet dispensare quæ data sunt. *Origenes* (tract. 31.) Vel qui in fide proficit, etsi nondum in ea perfectus est, communiter fidelis vocatur; & qui naturalem habet mentis velocitatem, dicitur prudens. Si quis autem consideret, inveniet fideles multos; & studium fidei exercentes, non autem & prudentes: quoniam „quæ stulta sunt mundi ele-“  
git Deus: 1. Corinth. 1. Et iterum videbit alios veloces quidem esse, & prudentes; modicæ autem fidei. Convenire autem in unum fidelem atque prudentem, rarissimum est. Ut autem in tempore det cibum, necessariam habet quis prudentiam, ut autem non adimat cibos indigentium, opus est fide: quoniam & secundum simplicem intellectum opus habemus ut fideles simus ad dispensandum Ecclesiæ redditus, & ut non devoremus quæ sunt viduarum, & ut memores simus pauperum, & ne occasione accipientes ex eo quod scriptum est 1. Corinth. 9. „Dominus constituit his qui

(1) Editio Veneta Nicolini an. 1593. habet ad marginem Al. August. 2. de Prædestinatione Sanctorum. (2) Al. naturalis. (3) Al. & vigilantium.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Glossa.

(1) Al. prædicabat quidem in medio, futura prædicans mala. (2) Al. apud multos creduntur ex præteritis, credibilia facit &c. (3) Al. & labore. (4) Al. destructio. (5) Al. enim. (6) Al. Vel. (7) Al. deest aut. (8) Legit P. Nicolai corporis autem sensus.



Evangelium prædicant, de Evangelio vivere, (1) amplius quaeramus quam cibum simplicem, & necessaria vestimenta, & ut nec amplius teneamus nobis quam his qui necessitatem patiuntur. Prudentes (2) autem, ut prudenter intelligamus indigentium causas, propter quas sunt indigentes, & uniuscujusque dignitatem, quomodo educatus, & quantum necessarium habet. Multa enim sapientia opus est ei qui bene vult dispensare ecclesiasticos redditus. Sit etiam fidelis servus, & prudens, ut non effundat rationabilem, & spiritualem cibum quibus non oportet, volens ostendere se esse prudentem; illis scilicet qui magis necessarium habent verbum quod mores eorum ædificet, & vitam componat, quam quod illuminat scientiæ lucem; aut ne eis qui possunt acutius audire, pigeat exponere altiora, ne exponentes villa contemnantur ab his qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem sæcularis sapientiæ acuti. *Chrysostomus* in hom. 78. Adaptatur etiam & ad principes sæculares hæc parabola: unumquemque enim his quæ habet, ad communem utilitatem uti oportet, non ad nocentium conservorum, neque ad perditionem sui ipsius, sive habeat sapientiam, sive principatum, sive aliud quodecumque. *Rabbanus*. Dominus autem Christus est, familia autem supra quam constituit, est Ecclesia catholica. Difficile est ergo invenire in uno, ut & prudens sit, & fidelis, non autem impossibile: nec enim beatificaret eum qui non potest esse, cum subdit: *Beatus ille servus quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem*. *Hilarius* (can. 27.) Idem præcepto Domini sui obedientem, ut doctrinæ opportunitate verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispense. *Remigius*. Notandum autem, quod sicut magna distantia est meritorum inter bonos prædicatores & bonos auditores; ita magna distantia est præmiorum. Bonos enim auditores, si vigilantes invenerit, faciet discumbere, ut *Lucas* dicit; bonos autem prædicatores super omnia bona sua constituet: unde sequitur: *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*. *Origenes* (tract. 32.) Ut scilicet contregnet cum Christo, cui omnia sua tradidit Pater; (3) sicut boni Patris Filii, super omnem Patris substantiam constitutus, participat hujusmodi dignitatem, & gloriam fidelibus, & prudentibus dispensatoribus suis, ut sint & ipsi super omnem creaturam. *Rabbanus*. Non ut soli, sed ut præ ceteris æterna præmia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia. *Hilarius* (can.

(1) *Al.* nec amplius. (2) *Al.* deest autem. (3) *Nicolai* habet nam sicut. (4) *Al.* quomodo enim ardebat &c.

27.) Vel super omnia bona constituetur; idest, in Dei gloria collocabitur: quia nihil est ultra quod melius sit. *Chrysostomus* (hom. 78.) Deinde non solum ab honore qui imminet bonis, sed à pœna quam minatur malis, erudit auditorem, cum subdit: *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire; & cæperit percutere servos suos &c.* *Augustinus* ad *Hesychium* (epist. 80. in princ.) Ex moribus hujus servi apparet animus ejus: quos mores licet breviter, Magister bonus curavit exprimere; idest superbiam, cum dicit, *Et cæperit percutere servos suos*; atque luxuriam, cum dicit; *Manducet autem, & bibat cum ebriis*. Ne quod dicebat: *Moram facit dominus meus*, desiderio sui domini dicere crederetur; (4) quo ardebat ille qui dixit *Psal.* 41. „Stivit animam mea ad te Deum vivum: quando veniam?“ Dicendo enim, Quando veniam? moras se perpeti moleste ferebat: quia etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videretur. *Origenes* (tract. 31.) Peccat autem in Deum quicumque Episcopus qui non quasi servus ministrat, sed quasi dominus, & frequenter ut amarus dominus per vim dominatur; & non esurientes suscipit, sed epulatur cum ebriosis, & semper somniat quia post multum temporis venturus est dominus. *Rabbanus*. Typice etiam potest intelligi conservos percutere, conscientias infirmorum verbo, vel exemplo vitare. *Hieronymus* (super *Venit dominus servus*.) Quod autem dicit, *Venit dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat*, ad hoc dicit ut sciat, quando non putatur dominus, tunc eum esse venturum; & vigilantia, ac sollicitudinis dispensatores admonet. Porro quod dicit, *Dividet eum*, non est intelligendum quod gladio eum dissecet, sed à sanctorum consortio eum separet. *Origenes* (tract. 31.) Vel dividet eum quando spiritus ejus, idest spirituale donum, revertetur ad Deum, qui dedit eum; anima autem cum corpore suo vadit in gehennam. Justus autem non dividitur; sed anima ejus vadit cum spiritu, idest spirituali dono, ad regna cœlestia. Qui autem dividuntur, non habent postmodum in se partem spiritualis doni, quæ erat à Domino; sed relinquuntur pars quæ erat ipsorum, idest anima, quæ cum corpore panietur: unde sequitur: *Et partem ejus ponet cum hypocritis*. *Hieronymus* (in fin. *Comam.* ad cap. 24. *Matth.*) Cum his videlicet qui erant in agro, & qui molebant, & nihilominus derelicti sunt. Sæpe enim dicimus hypocritam aliud esse, & aliud ostendere; sicut & in agro, & in

mola

mola idem facere videbatur, sed exitus diversa voluntatis apparuit. *Rabbanus*. Vel cum hypocritis suscipit partem suam, scilicet duplicem gehennæ penam, idest ignis, & frigoris: unde sequitur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*: ad ignem enim pertinet fletus oculorum, ad frigus stridor dentium. *Origenes* (tract. 31.) Vel fletus erit eis qui male in hoc mundo ridentes fuerunt, & his qui requieverunt irrationabiliter, erit dentium stridor: nolentes enim dolores materialiter sufferre, compulsi tormentis, dentibus strident, illi scilicet qui manducaverunt acerbiter malitiæ. Ex his autem cognoscere est quoniam non solum qui fideles sunt, & prudentes, constituit Dominus super familiam suam, sed etiam malos; & quod (1) non salvas eos hoc quod constituti sunt à Domino super familiam ejus, sed illud ut dent in tempore cibos, & ut abstineant (2) à percussioneibus, & commotionibus. *Augustinus* ad *Hesychium* (ep. 80. in fin.) Hoc autem servo malo remoto, qui proculdubio domini sui odit adventum, constituiamus ante oculos tres servos bonos, adventum domini sui desiderantes. Si unus eorum citius, alter tardius dominum suum dicit esse venturum, tertius de hac re suam ignorantiam

constituetur. (3) Videamus tamen quis magis Evangelio consonet. (4) Unus dicit: Vigilemus, & oremus, quia citius venturus est Dominus. Alter dicit: Vigilemus, quia brevis, & incerta est vita ista, quamvis tardius venturus sit Dominus. Tertius dicit: Vigilemus, quia brevis, & incerta est vita ista, & nescimus (5) tempus quando venturus est Dominus. Quod autem aliud hic dicit quam quod cum audimus Evangelium dicere: *Vigilate, quia nescitis qua hora venturus sit Dominus?* Omnes quidem præ desiderio regni Dei, hoc volunt esse verum quod purat primus: (6) proinde si factum fuerit, gaudebit cum illo secundus, & tertius; si autem factum non fuerit, metuentium est ne inter ipsas moras perturbentur qui crediderant quod dixerat primus, & incipient Domini adventum non tardum putare, sed nullum. Qui autem credit quod dicit secundus, tardius Dominum esse venturum, si factum fuerit, nulli turbabuntur in fide, sed inopinato gaudio perfuerunt. Qui autem quid horum verum sit ignorare se constituit, illud optat, hoc tolerat, in nullo eorum errat, quia nil eorum aut affirmat, aut negat.

(1) *Al.* non solvat eos de hoc. (2) *Al.* à speculationibus. (3) *Al.* Videmus. (4) *Al.* unde dicit. (5) *Al.* omittitur tempus. (6) *Al.* deinde factum fuerit.

## CAPUT XXV.

(a) **T**unc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsa. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsum venit: exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virginis illæ, & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emitte vobis. Dum autem irent emere, venit sponsum, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissime vero veniunt & reliquæ virginis, dicentes: Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

(b) Sicut enim homo peregrinus proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua; & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique secundum propriam virtutem; & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Er accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accersit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. *Thom. Op. Thom. VIII.*